

referimus Straboni I, 1, 11 p. 7 τὸν μὲν οὖν (Ἀναξίμανδρον) ἐκδοῦναι πρὸς ὅσον γεωγραφικὸν πίνακα, τὸν δὲ Ἑκαταῖον καταλιπεῖν γράμμα<sup>1)</sup> πιστούμενον ἐκείνον εἶναι ἐκ τῆς ἄλλης αὐτοῦ γραφῆς. Quod si certa esset opinio, quae mihi quoque perplacet, ex ipso dicendi genere effecisse Eratosthenem periodum esse non alius atque genealogiarum libros auctoris, nouum existeret eorum sententiae impedimentum, qui illam qualis Alexandrinorum aetate ferebatur aut totam falsarii fuisse aut aliena manu ita interpolatam, ut sui dissimilis euaderet. Cobetus tamen dictionis illa congruentia ita abusus est, ut audacter inuerso Eratosthenis iudicio genealogias et quas male ab his discreuit historias *ψευδευπιγράφους* esse contenderet Mnemosynae n. s. u. XI p. 1 sqq. Cuius a sententia non multum discrepuit C. Sittl in historia litterarum Graecarum I p. 349, qui fabularum explicationes eiusmodi qualis est de Cerbero serpente Taenario propter uenenum letale Orci cane cognominato (fr. 346) ab Hecataei aetate abhorrere putabat. Quod contra erunt nisi fallor quibus potius id ipsum antiquitatis fidem praestare uideatur, quod idem scriptor aliis fabulis talem explicandi rationem adhibet (cf. etiam fr. 349 et 357), aliis satis credulum se praebet (fr. 337). Herodoti uero locus VI, 137 ut unum opus ab Hecataeo scriptum esse euincat, tantum abest, ut non possit nisi ad genealogias referri.

### III.

Pherecydem genealogum fuisse Atheniensem grauissimus auctor fidem facit Eratosthenes apud Diog. Laert. I, 119 nec discrepant ceteri testes quotquot patriam eius commemorant. Recentiores tamen plerique omnes Lero eum oriundum fuisse sibi persuaserunt propter Suidae glossas hasce:

*Φερεκύδης Ἀθηναῖος, πρεσβύτερος τοῦ Σοφίου ὃν λόγος τὰ Ὀρθέως ἀναγγεῖν ἔγραψεν Ἀντόχθους (ἔστι δὲ περὶ ἀρχαιολογίας τῆς Ἀττικῆς) ἐν βιβλίῳ ἑ,*

1) Ex ipsa hac oppositione Eratostheni tabulam Hecataei geographicam non innotuisse collegeris quam posteriores memorant Agathemerus I, 1 p. 471. Schol. et Eustath. ad Dionys. perieg. p. 428. 208 M. Quare ne Herodoti quidem III, 6 notam ad Hecataeum potissimum spectare tam certum uidetur quam uulgo arbitrantur. Sittlio autem l. infra i. cur Strabonis locus de corruptela suspectus sit ego plane non assequor.